



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

V. Munificentia S. Henrici & S. Kvnegvndis in varias Ecclesias.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

\* imaginem.  
Dona Confugi-  
ensi Monaste-  
rio oblata.

DEO secundum regulam S. Benedicti seruientium congrega-  
tionem decentissimè ordinauit. Porro cooperante ei in om-  
nibus imperiali maiestate, idem Monasterium omni ornatu  
decorauit. Ante principale altare \* iconam ex auro & lapide  
preciosissimo statuit; calices aureos & argenteos, catinos, vr-  
ceos, pallas, casulas, vela, cortinas, cappas auro & gemmis pre-  
ciosis intextas, & cætera vtenilia, siue vasa ministerij tanto  
studio, & tam sumptuosis impensis eidem Ecclesiæ contulit,  
vt, quicumque ea intuentur, regiam munificentiam, & miram  
vtriusque, Imperatoris videlicet, ac Imperatricis in DEO de-  
uotionem magnoperè mirari non cessent.

## CAPVT QVINTVM.

*Munificentia S. Henrici, & S. Kunegundis in varias Ecclesias.*

**D**Ræter has principales suæ foundationis & prima-  
rias Ecclesias; quæ Conuentalis Ecclesia, quæ  
monasteria illorum donatiuo nõ gloriatur, aut  
in prædiis dilatata, aut decorata ornamentis? A-  
lias enim antiquitate collapsas reedificauerunt; quasdam e-  
tiam destruktas, & ad nihilam redactas, in pristinum, vel in  
meliozem statum restaurauerunt, & sicuti prudentes Virgines  
oleum suæ misericordiæ in diuersos effuderunt, vt merito di-  
cere possint, *Christus bonus odor sumus in omni loco.*

2. Corinth. 2.

O coniugium non voluptate, sed bona voluntate copula-  
tum. O sanctum matrimonium, vbi vna fides inuolata casti-  
tatis, vbi vnus spiritus misericordiæ ac veritatis; vbi idem vel-  
le in virtutibus, idemque nolle in vitiis: vbi nec primus, nec  
alter discerni potuit, dum alter, quod primus, voluit; vbi par  
animus, in multifariis operum effectibus, pares in duobus o-  
stendit affectus. Quales has nuptias dixerim, nescio. Vnum  
nescio; quia nescit nostra modò regio tales, dum illi propter re-  
gnum cælorum se *castriantes*, nec prolem terrenæ fecunditatis  
exspectantes, cælibem à DEO generationem receperunt: à quo-  
rum

Matth. 19.



rum ore laus Dei nunquam deficiet. Hæc est generatio quærentium  
Dominum, quærentium faciem Dei Iacob; qui viuentes in Christo,  
membra sua mortificantes propter Christum, super terram  
morientes; modò regnantes cum Christo bona Domini sui  
vident in regione viuentium.

## CAPVT SEXTVM.

*Cur Auctor hanc scriptionem  
susceperit?*

**V**oniam de vita & virtutibus pij & sancti HEIN-  
RICI Christianissimi Imperatoris, & miserationi-  
bus variis, quas fecit in domo Domini, de signis  
quoq; & miraculis, quæ post transitum ipsius per  
eum fecit Deus, satis ac dignè scripta sancta recepit Ecclesia:  
nunc animum pungit, ac in mentem venit, vitam memoran-  
dæ Virginis nostræ KUNEGUNDIS breuiter explicare, &  
memoriæ scripto commendare; vt ad exemplum eius se int-  
entès, quæcunque Virgines, quæcunque verè viduæ, perfectæ  
vitæ normam arbitrentur conuersationem illius. Indignum  
enim nobis, sed magis operæ pretium duximus, vt illi officium  
non subtrahamus oris, cuius prouidentia quotidie alimenta  
percipimus corporis.

## CAPVT SEPTIMVM.

*S. Kunegundis, mortuo marito, pietatis ex-  
ercitationibus sedulo insistit.*

**H**ENRICO itaque suo, suæ castitatis patientissi-  
mo semper custode, vbi eam suis, virginem, vt  
traduxerat in Christo, in vltimo spiritu constitu-  
tus resignauit, ad cælestia, quæ iugiter suspirabat,  
gaudia translato, illa se ad Dominum, vt semper, toram con-  
tulit: illum suæ castitati, necessitati, saluti adesse, illum suis Ec-  
clesiis; illum filiis, quos ei in Christo aggregauerat, præsen-  
tem